



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 11. Embrodunensis Synodi initium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

## §. XI.

*Embrodunensis Synodi initium.*Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.*Relat. du  
Concil.  
d' Ambrun  
par Abbe  
de S. Mi-  
chael Char.*

Tumultuarius hic Episcopi ingressus a plerisque in obstinati animi omen accipiebatur, nec tamen propterea Archiepiscopus ullum fraternæ charitatis officium prætermisit, ut Confratrem suum qua precibus, qua rationum momentis a sua pervicacia retraheret. Obtulit eidem Archiepiscopale Palatium ad habitandum, & communem cum ipso mensam, semperque omni charitate, mansuetudine ac moderatione erga ipsum usus est. Is vero constanter reposuit, se nec Synodum pro legitima, nec Episcopos pro aptis iudicibus habere, si forte de ejus persona & scriptis agere molirentur. Insuperhabita hac oppositione die decima sexta Augusti præmissis de jure requisitis Synodo solemne dabatur initium, convenientibus tum Embrodunensi Archiepiscopo, Flodorardo Vinciensi, Dominico Glandeveni & Carolo Grassensi Episcopis præter Franciscum Pucetum Diniensis Præsulis Procuratorem. Prælegitur decretum de modo agendi in hoc Concilio, hujus tenoris:

„Ex quo Concilii Provincialis celebrationem indiximus, spes nobis

Ff 4

„afful-



Sæc. XVIII. „affulfit non dubia, Eum, qui in nobis  
 A. C. 1727 „operatus est velle, operaturum & per-  
 „ficere, eoque magis id consecuturos  
 „nos esse jam nunc confidimus, quod  
 „omnes, quotquot hic adstant ad ope-  
 „ris executionem accincti, eodem qui  
 „eos ante comedebat, domus Dei  
 „Zelo etiam nunc comedi ac fervere  
 „deprehendimus. Attamen ne prævia  
 „illa felicioris eventus omina incassum  
 „cadant, universos & singulos in Con-  
 „cilio isto degentes pro Pastoralis nostra  
 „solicitudine hortamur, ac monemus,  
 „ut toto Concilii tempore, nihil a sedu-  
 „litate sua remittentes, ad eum con-  
 „fugiant, unde venit Spiritus Scien-  
 „tiæ, & fortitudinis; sapientem enim  
 „qui cor suum tradet ad vigilandum  
 „diluculo ad Dominum, & in con-  
 „spectu Altissimi deprecabitur, spiritu  
 „intelligentiæ replebit Deus, & diri-  
 „get consilium ejus & disciplinam, &  
 „in absconditis suis consiliabitur.,

„Quocirca id imprimis habeant  
 „omnes summopere sibi commendatum,  
 „ut a negotiis sæcularibus prorsus ab-  
 „stracti Divinis toti incumbant, & quo-  
 „tidianas preces ad Deum effundant,  
 „quibus istud nostrum Concilium per-  
 „agi ac finiri prospere, impetrent,  
 „uti jam impetravimus feliciter in-  
 „choari.,

„Præ-



„Præterea Civitatis Embrodunensis Sæc. XVIII.  
 „incolas, quorum, & totius Provinciæ A. C. 1727.  
 „gratia, salutaria Decreta Concilium  
 „meditatur, paterno animo admone-  
 „mus atque hortamur, ut pietatis of-  
 „ficiis se dedant, impensius Pœnitentiæ  
 „Sacramento contractas sordes eluant:  
 „Auctori gratiæ sacra Sinaxi sese con-  
 „jungant: & sobrie, caste, juste &  
 „pie, ut decet Sanctos, vivere sata-  
 „gant; obtestamur Clerum in Domino,  
 „obsecrationes, orationes, postulatio-  
 „nes, gratiarum actiones, fieri pro  
 „Sanctissimo Domino nostro Papa ac  
 „pro Episcopis in hoc Concilio congre-  
 „gatis, pro Rege nostro christianissimo,  
 „cæterisque Principibus Christianis;  
 „ut in hac charitate radicati pacem  
 „foveant, sectentur justitiam, & quæ  
 „sunt Christi sapiant, & quærant una-  
 „nimes.,,

„Jam vero ut omnis præcludatur  
 „aditus jurgio & altercationi ex jure  
 „hos illosve prægrediendi fortasse exo-  
 „riendis, in Spiritu humilitatis acce-  
 „dant omnes, nihil per contentionem,  
 „neque per inanem gloriam, sed in hu-  
 „militate Superiores sibi invicem ar-  
 „bitrantes, quæ aliorum. Quod ut  
 „feliciter assequamur, in qualicumque  
 „ordine quisque compareat, & consi-  
 „deat, salva illius jura decernimus.,,



Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

„Præcavendum deinde, ne quis sa-  
 „crum istum confessum tumultus inter-  
 „turbet, atque adeo modestiam in-  
 „duentes in Spiritu lenitatis animi  
 „sensa, prout Spiritus Sanctus dabit e-  
 „loqui, opportune, servato ordine pro-  
 „ferant omnes in Congregationibus,  
 „sive privatæ illæ sint, sive publicæ,  
 „ac potissimum in Sessionibus; non  
 „enim in confusione Dominus.,

„Denique sub pœnis a jure statutis  
 „inhibemus, nequis Episcoporum, aut  
 „eorum, qui ad illud Concilium no-  
 „strum evocati huc accesserunt, ex  
 „hac civitate Embrodunensi, ante di-  
 „missam Synodum discedere præsumat,  
 „nisi discessus causa a Concilii Patribus  
 „cognita, approbata, ac legitimo de-  
 „inde Procuratore suffecto. Recitato  
 hoc decreto tandem decima octava  
 ejusdem Mensis secunda habebatur Ses-  
 sio, cui quindecim Episcopi, & plus-  
 quam quadraginta Doctores ac Theo-  
 logi intererant. Ex his Abbas Hu-  
 guesius, qui *Promotoris* partes agebat,  
 apud Synodi Patres Sanitiensis Epi-  
 scopi Instructionem Pastoralem denun-  
 tiavit, exposuitque, quod ibidem in-  
 juncta *formularii* subscriptio ceu con-  
 scientiæ carnificina ac vexatio traduca-  
 tur, & Constitutio *Unigenitus* atris op-  
 pido coloribus depingatur, e contrario  
 autem



autem Quesnelli reflexiones amplissimis celebrentur elogiis: Hac de causa Promotor postulabat, ut hic Episcopus declararet, an ipse præfatæ hujus Instructionis Auctor esset, necne; id si fateatur, eam retractaret, si vero inficiaretur, illam unacum Synodi Patribus condemnaret. Non equidem Episcopus disertis verbis declarabat, hanc Instructionem a se fuisse confectam; nec id abs re; constabat enim, eam in Quesnellistarum officina fuisse profectam, atque ab hoc Episcopo adoptatam: nec id diffitebatur Episcopus, sed palam enuntiabat, quod illam publici juris fecerit, eamque tamdiu propugnaturus sit, donec eam esse erroneam convincatur. His dictis scriptum quoddam produxit, in quo expositæ erant rationes, quibus permotus Synodi Tribunal recusaret & sigillatim quemlibet ex Concilii Patribus pro legitimis iudicibus habere renueret: huic præsertim inixus fundamento, quod Concilium Provinciale, postquam ad proximum Concilium Generale appellasset tanquam legitimum Iudicem tam sui, quam scriptorum suorum, agnoscere non posset. Hac super re præprimis deliberari petiit, & sermone ad suum Metropolitanum Concilii Præsidentem converso asseruit, hunc nec judi-

Sæc. XVIII.  
A. C 1727.



Sæc. XVIII. A. C. 1727. judicis, minus vero Præsidis officio  
fungi posse, eo quod Anno 1721. de  
*confidentiali*, ut ajunt, *simonia* accusatus  
 fuisset: Nec ceteris Synodi Episcopis  
 pepercit, sed eorum quemlibet de va-  
 riis accusavit delictis; inter quæ præ-  
 cipuum erat, quod Constitutionem  
*Unigenitus*, qua Ecclesiæ Hierarchia,  
 & Principum jura everterentur, per  
 schismaticas suas literas promulgas-  
 sent. Hoc scriptum ipsemet Episcopus  
 palam in Synodo prælegit, quo facto  
 Episcopi ea, quæ ipsis objiciebantur,  
 partim ceu falso imputata inficiati sunt,  
 partim tam frivola esse demonstrarunt,  
 ut ipsi propterea a Judicum officio abs-  
 que gravi contumelia rejici non pos-  
 sent: His auditis interrogabant Sani-  
 tiensem Præsulem, utrum has accusa-  
 tiones, prout jura præscribunt, scri-  
 ptotenus comprobare paratus esset,  
 eoid negante rursus urgebant Episcopi,  
 ut saltem oretenus intra octiduum, ex  
 Canonum præscripto, ea, quæ contra  
 suum Archiepiscopum, ceterosque Sy-  
 nodi Patres detulisset, *apertissimis do-*  
*cumentis* probaret, ipse autem scripto  
 suo in mensa relicto excessit, declara-  
 tione facta, se ad Synodum haud ultra  
 reversurum: paulopost tamen seorsim  
 Embrodunensem Archiepiscopum adiit,  
 ac obortis lacrimis professus est, optare  
 se,



se, ut suo etiam sanguine calumnias, Sæc. XVIII.  
 quas in Patres effutire, inconsiderata A. C. 1727.  
 temeritas suasisset, delere posset, se etiam  
 eas in plena Synodo revocare, paratissimum fore,  
 dummodo vicissim querela, quam Promotor contra ipsum  
 movisset, penitus supprimeretur. Verum Synodi  
 Patres indignissimum fore rati, si proprium suum  
 honorem, utut injustissime læsum cum Religionis præju-  
 dicio, & veritatis dispendio vindicare vellent,  
 unanimi consilio censuerunt, nullas & frivolas  
 omnino esse rationes, ob quas hic Episcopus Synodi  
 Tribunal recusasset. Eapropter Promotor palam  
 exposuit, constare, ejus rationes prorsus irritas  
 esse, eo quod eas accusans nec calamo nec ore probare  
 ausus esset, aliunde vero illas omnes nonnisi vel  
 frivolis suspicionibus, vel confictis relationibus  
 inniti, & ab omnibus, quibus imputatæ fuissent,  
 negari, proin ob ejusmodi rationes totam Synodum  
 nunquam recusari potuisse, se igitur efflictim petere,  
 ut Episcopi oppositione flocci habita allatas ejus  
 rationes ceu irritas nullasque declararent, & Synodus  
 ad denunciatae instructionis judicium procederet.  
 Æqua cunctis videbatur Promotoris petitio, quapropter  
 rejectis Episcopi criminationibus Synodus decrevit, di-  
 judi-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

judicandam esse ejus Instructionem, illum vero de omnibus, quæ hanc in rem statuerentur, per Synodi Secretarium præsentibus duobus Notariis exacte informandum esse.

§. XII.

*Sanitiensis Episcopi Instructio Pastoralis a Synodi Patribus examinata.*

Porro Grassensis Episcopus cuncta, quæ in præfata Instructione offensio erant, retulit, ut vero res clarius pateret, Præses illam alta voce prælegi jussit. Existimabant omnes, eam esse opus schismaticum, erroribus plenum, ac fidei puritati omnino adversum, postea præcepit Synodus, ut Promotori illud traderetur scriptum, in quo accusatus Præsul palam profitebatur, se dictam instructionem adoptasse, publici juris fecisse, eamque a capite ad calcem propugnare, paratum esse. His peractis idem Promotor enuntiavit, contra hunc Episcopum ex Canonum præscripto esse procedendum, proin, ut Synodo ejusque judicio major auctoritas accederet, quosdam ex vicinis Provinciis Episcopos esse ad Synodum vocandos. Priusquam vero Synodus Promotoris postulato deferret, duos Epi-